

**NOTIZIARIO DELLA CONFERENZA EPISCOPALE ITALIANA
a cura della Segreteria Generale**


NUMERO 8

31 DICEMBRE 1983

Auguri natalizi del Santo Padre

Si riproduce, per documentazione, l'autografo con cui il Santo Padre, Giovanni Paolo II, ha fatto pervenire ai Vescovi, tramite il Presidente della Conferenza Episcopale, l'augurio per le festività natalizie 1983.

Il Cardinale Presidente, in data 22 dicembre 1983, con lettera prot. n. 1060/83, ha inviato a tutti i Vescovi fotocopia del citato autografo, sottolineando il gesto di squisita fraternità con cui il Papa vuole essere vicino ai Pastori e a tutte le Comunità diocesane in questo Anno Santo della Redenzione, e assicurando di avergli espresso il comune pensiero di riconoscenza e l'assicurazione della preghiera della Chiesa italiana.



Venerabilis Frater,
salutem et Apostolicam Benedictionem

Fulgidam Christianorum spem iam antehac
totiens in Sacramento Incarnationis experti atque
iterum, Deo dante, in Nataliciae Sollemnitatis fe-
stivitate mox experturi consalutamus temet ipsum
per teque cunctos ac singulos Conferentiae Episco-
palis cui praees Fratres Episcopos, dum has litte-
ras sensuum Nostrorum interpretes et precum
fervidarum nuntias et optimarum rerum in
proximum Salutis annum auspices maximo
amicitiae fraternitatisque adfectu vobis inscri-
bimus.

Novimus quanta concordiae universalis siti,
pacisque stabilis cupiditate flagrent terrarum
populi etiam istius vestrae regionis, qui prae-
celsam Cullii Ciceronis vocem vehementius
usque frequentant: "Dulce enim etiam nomen

est pacis, res vero ipsa cum iucunda tum salu-
taris" (Phil. XIII, 1, 1). Intellegimus autem simul
quantum Evangelii christiani cultus et usus
ad eadem impetranda proposita adhuc contu-
lerit postque possit conferre, si modo veram fi-
dem animis conceptam omnes Christi affecta-
tores ubique in cotidianos converterint mores, si
propriam christianorum serenitatem suos inter
cives diffuderint, si patientiam tolerantiam
indulgentiam a Verbo Incarnato ipso praedi-
catam fecerint vitae suae actionisque princi-
pium.

Esto igitur nobis, pastoribus una et ovibus,
ministris una et fidelibus, incitamentum
saltem agendi, si non prorsus initium, haec
appropinquans celebritas pulcherrima Christi
Natalis, quae medium incidit in Jubilaeum
Redemptionis. Prae nobis ipsi feramus hilarem
ergo spem adversus omnia adversa, ut uni-
versae orbis gentes aliquid tandem percipiant
laetitiae illius supernae affatim quidem iis
concessae qui Infantem Deum invenerunt
inter Mariam et Joseph invenientesque suam

susceperunt in vitam.

Laetamur vobiscum, Venerabilis Frater ac Fratres Episcopi, de acto iam et liturgica ratione agendo Redemptionis nostrae mysterio. Precamur vobiscum per Apostolicam Benedictionem simul cum hac epistula transmissam ut, quidquid salutiferi et grati quidquid lucis et spei in eodem inest fidei sacramento, quam uberrime hominum generi cito contingat.

Ex Aedibus Vaticanis, die 1 mensis Decembris, anno Domini MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri sexto.

Joannes Paulus M. I.